

cor et animam habeat; siquidem potentius trahit ad se id quod est impotentius, vertitque in sui naturam. Hinc ergo desinit in homine concupiscentia illa perdere vires suas. Unde S. Cyrillus Alexandrinus, lib. IV. in Joan. cap. XVII. scripsit: *Sedat, cum in nobis maneat* (in eucharistia) *Christus, scævientem membrorum nostrorum legem, etc.* Et quemadmodum massa ficorum sanavit ulcus Ezechiae regis ulceri admota, IV. Reg. XX. ita ulcus carnis nostrae concupiscentiam, sanat massa eucharistiae, quae multorum bonorum admirandam continet dulcedinem et saporis suavitatem. Praestat etiam medicinam contra quotidianas infirmitates, tandemque hominem ex carnali facit spiritualem: quod in arca foederis typice insinuatum, cum ea Jordanem transiens, convertit eum retrorsum et inhibuit solitum ejus fluxum. Idem enim praestat eucharistia crebro et digne sumpta, adeoque transiens per hominem. Reprimit enim inordinatos appetitus, mutat vitae ejus conversationem, sistit peccandi libidinem et ad superna quaerenda convertit.

Mortem eliminat et vitam aeternam tribuit, ut expresse Dominus ait, Joan. VI. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* Omnia vero haec comprehendisse videtur illo verbo consecrationis: *Accipite et comedite, hoc est corpus meum. q. d. Ecce vobis theriacam et antidotum arboris vetitae.* Siquidem corpus meum nec tenebris est involutum, nec concupiscentiae subiectum, nec corruptioni obnoxium: sed tertio die resuscitandum et vita aeterna beandum. Hanc ergo theriacam, auditores, si debite acceperitis, easdem dotes imbibetis. Conservat etiam nobis vitam nostram spiritualem, quia fecit nos crescere in spiritu, et confortat ne labamur, donec perveniamus ad montem Dei, etc.

CONCIO III.

CUR SUB PANIS ET VINI SPECIEBUS INSTITUERIT
CHRISTUS EUCHARISTIAM.

I. Cur sub duabus speciebus. — II. Cur sub speciebus panis et vini. — III. Cur invisibiliter sub speciebus visibilibus.

THEMA.

In finem dilexit eos. Joan. XIII.

Legimus I. Regum XXI. Davidem insidias regis Saul fugientem devenisse ad Achis regem

Philistinorum, ubi cum regi proderetur, velut occultus hostis, extimuit David *et immutavit os coram Achis, et collabebatur inter manus eorum et impingebat in ostia portae, destuebantque salivae ejus in barbam.* Quamobrem pro insano habitus: et ut habet titulus, Psal. XXXIII. juxta Hebr. expulsus est ab Achis. Quo loco S. August. vult signatam fuisse institutionem s. eucharistiae; siquidem in ea Christus mutavit vultum et habitum suum, quando sub panis et vini speciebus sese occultavit. Deinde, quia ubi dicitur: *Collabebatur inter manus eorum*, ibi S. August. juxta expositionem septuaginta interpretum legit: *Ferebatur David in manibus suis*, quod soli Christo convenit, qui dum in ultima cena discipulis eucharistiam praebuit, utique tunc ferebatur in manibus suis. Denique in hac sua immutatione adeo se demisit Dominus, ut impingat quodammodo instar caeci, hoc est, mansuetissime toleret in hoc sacramento injurias, opprobria, contemptus et inciviles hominum mores, quasi non videret vel audiret, omnia dissimulans, nec fugit hominum salivas, quibus in ore mixtis trajecit in stomachum. Quamobrem haec immutatio in eucharistia, insania videtur esse Calvinistis, qui proinde Christum in ea nequaquam agnoscunt, sed expellunt, uti Davidem Achis. Sed si oculos aperire vellent, viderent utique hanc vultus immutationem nequaquam Christo indignam esse, quemadmodum nec Davide indigna fuit sua illa metamorphosis. Davidem ad suam adegit propriae vitae amor ut eam conservaret: Christum ad suam adegit amor erga Ecclesiam, pro qua vitam suam posuit. Quod si indignum in eo non fuit, mori pro Ecclesia, cur indignum putetur, transformare vultum etiam in species creaturarum humilium? Vidit hoc oculatissima illa Aquila, quae in hodierno evangelio causam hanc indicavit, cum dixit: *In finem dilexit eos*, id est, sine modo. Excessus enim amoris, hujus institutionis causa fuit. Sed videamus clarius, cur sub duabus panis et vini speciebus invisibiliter voluerit remanere in eucharistia Christus.

I. Cur sub duabus speciebus panis scilicet et vini? Respond. Primo, id voluisse Christum, ut nobis indicaret se perfectum nobis instituisse convivium; non quasi sub utraque specie necessario sumendum sit ab omnibus, sed quod habeat perfectam vim explendi famem et sitim hominum, id est, omne desiderium. Quia enim eucharistiam nobis reliquit, ut esset nobis pignus gloriae et quasi praegustus quidam caelestis illius mannae, quod omnem omnino satiat appetitum: ideo ea perfectam debuit significare refectionem, non praebere tantum. Potest autem sub

una etiam specie praebere perfectam refectionem, (non minus, quam panes a Christo multiplicati, famem sedare et sitim) quamvis non significare, quod sufficienter facit in sacrificio missae.

Secundo, ut significaretur Christi mors et quidem talis, in qua totus ejus sanguis separatus sit a corpore, effusus in pretium redemptionis nostrae. Cum enim necessarium esset relinqui nobis aliquod memoriale passionis et mortis Christi tamquam unicae salutis nostrae causae, convenientissimum hoc fuit, quia per id tam passio quam mors ipsa repraesentatur; separato enim sanguine a corpore mors subsequitur, nec qualiscumque, sed per vim illata; nec non per modum sacrificii, cujusmodi erat Christi immolatio ad reconciliandum Deum: in omni autem sacrificio sanguis separabatur a corpore.

II. Cur sub speciebus panis et vini potius, quam aliarum rerum? Respond. Primo, ad significandam eucharistiae necessitatem id factum esse. Ut enim ad vitae sustentationem nil magis necessarium et homini conveniens, quam panis et vinum: primum etiam viaticum, quod sumit secum viator, panis est et vinum: ita et eucharistia ad sustentationem vitae spiritualis et robur animae conservandum in hoc laborioso itinere vitae nostrae destinata, panis et vini speciem habere debuit. Et quemadmodum nil ita appetit homo, ac cibum et potum, quando esurit et sitit, quia haec vitam ejus conservant, ita voluit Christus indicare, se a nobis maxime super omnia appetendum et desiderandum tamquam unicum et necessarium animae fomentum.

Secundum, ut nobis significaret, se per hoc sacramentum ea in nobis efficere, quae panis et vinum solent. Nutrit enim et conservat vitam, dans gratiam ad perseverandum, dat incrementum gratiae, dat robur, dat laetitiam et delectationem; praeterquam quod non convertitur in hominem, sed ipsum convertit in se, cum appetitu, frequenter ac digne sumptus.

Tertio, ut haberemus typum et memoriale incarnationis et passionis Domini. Incarnationis; quemadmodum enim Deus in incarnatione sua dignatus est descendere et demittere se in uterum Virginis, sic voluit etiam in eucharistia descendere in ventrem ejusvis hominis, et in eo aliquantum permanere licet impassibilis. Quid si manna asservari praecipit Deus in futura saecula, propterea quod de caelo a Deo demissum esset, Exod. XVI. quanto magis decuit nos habere perpetuum memoriale dominicae incarnationis, in qua verus ille panis descendit in uterum castissimae Virginis? Hujus autem beneficii optimum memoriale est eucharistia, sub speciebus

panis et vini demitti in ventrem solita. Manna de aere tantum descendit, confectum manibus angelorum: Christus est panis de caelo descendens, confectus opera Spiritus Sancti.

Passionis vero; quia nos ferè pessimae quodammodo Christum comedimus, et velut infernus viventem deglutivimus, quando peccatis nostris eum morti tradidimus; id quod animo contrito expendere deberemus, quoties Christum sumimus.

Quarto, ad amorem suum erga nos demonstrandum, ut nobis conjungeretur reipsa et intime etiam qua homo: non tantum adoraretur et videretur, velut in gemma vel auro, etc. sed etiam sumeretur, quo majore fructu nobiscum esset, et nobis applicaretur velut medicina spiritualis, sicut ei insereremur, velut rami trunco, et succum ab eo traheremus. Atque in hoc ostendit amorem suum erga nos, qui quaerit unire amantem cum amato. Hinc Nathan describere volens amorem, qui intercedebat inter Uriam et uxorem ejus, ait hanc fuisse illi ut oviculam, quae de pane ejus comedit et de calice ejus bibebat, et in sinu ejus dormiebat, II. Reg. XII. Hinc etiam natura voluit ut infantes de substantia et lacte matris nutrentur, quo nimirum amor eorum in parentes, et parentum in illos foveretur, et quasi cum lacte sugeretur.

Quinto, ut finem hujus institutionis nobis ante oculos poneret, qui est unio et concordia membrorum, id est, Christianorum omnium inter se et cum capite Christo. *Ex multis namque granis, inquit S. August. tract. XXVI. in Joan. unus panis efficitur, et ex multis racemis vinum confluit.* Apostolus quoque I. Cor. X. hoc indicat, cum ait: *Unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* Unde et communio vocatur: et hinc olim Christiani ante communionem osculum pacis sibi mutuo dabant. Hoc denique est, quod Christus oravit, ut nimirum fideles omnes sint unum in charitate sicut ipse et Pater in essentia unum sunt. Solent in convivis uniri et conciliari animi: sic fieri decet et in hoc convivio. Praecipuus autem finis ille est, ut per hanc communionem mutemur in virum alterum, id est, in Christum et ut novam inchoemus vitam. Quando arboris fructus immutare vult hortulanus, tunc radici ejus includit grana frugum aliarum, v. g. peponum, et tunc dicuntur fructus horum saporem et colorem aliquo modo acquirere. Infans ab uberibus nobilissimae et sanissimae feminae, nobilem ac sanam imbibit et acquirit complexionem. Quis neget igitur ex frequenti et digna sumptione eucharistiae hominem fieri posse christiformem, ut ita dicam?

Sexto, ut hoc medio contineret in timore, vel ad illum saltem revocaret carnem nostram, et sciremus vas nostrum possidere in sanctificatione, nec ita facile in corpus nostrum delinqueremus, quod Dominus ipse toties in persona propria inhabitatum venit. Ut enim mundior servatur illa domus, in quam princeps sæpius divertit, ob illius reverentiam, ita etiam decet servari corpora nostra ab omni immunditia, in quibus Deus noster habitationem sibi elegit. Tale medium petisse videtur David, Psalm. CXVIII. eum ait: *Confige timore tuo carnes meas*. Communio quidam clavus est, configens timore carnem nostram, ut ne tam facile audeat turpia committere. Quid enim ait apostolus, I. Cor. VI. *Nescitis, inquit, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit.*

III. Cur invisibiliter sub speciebus tamen visibilibus? Respondeo primo, ut sic accedere ad eum, et sumere eum auderemus; alioquin enim quis hoc auderet, si in gloria sua visibilis appareret? Refert Joan. Carthagena, ord. S. Francisci, lib. de august. euch. sacr. hom. IX. inventum cujusdam medici Hispani, qui sanare cupiens ægrotum tabe confectum, quoniam ille ab esu testudinum, quarum carnibus erat sanandus, abhorrebat, præcepit pullos, quos ægrotus libenter edebat, testudineis carnibus ali, eique ad vescendum dari: quo artificio illusus ægrotus sanitatem recuperavit. Pari modo, quia Christum Dominum in sua specie visibiliter apparentem sumere non poteramus, idcirco sub specie panis et vini sese occultare voluit, ut non tam ipsum, quam panem et vinum sumi sensus judicarent, adeoque non abhorrerent.

Secundo, ut meritum fidei haberemus, dum exercemus heroicum actum illius, abnegando sensus nostros et ratiocinationes, quas intellectus noster inde conficeret. Voluit enim Christus in hoc mysterio exercere et probare fidem nostram, idque merito: in correctionem videlicet illius peccati, quo primi nostri parentes credere maluerunt serpenti, quam Deo.

Tertio, ut præberet nobis etiamnum speciem humilitatis illius, qua in mundo conversatus, sub aliena sordidaque humanitatis veste delituit. Ut enim ibi gloriam majestatis suæ vili et abjecto servi habitu abscondit, ita et nunc tegumento panis et vini. Unde quemadmodum in præsepio, non verbo sed opere clamabat: *Discedite a me, quia mitis sum et humilis corde*, ita clamat etiamnum in hoc sacramento ad omnes Christianos, cum communicant præsertim, ut discant seipsos occultare et optare non agnoscere,

humili denique et decenti habitu uti. Deinde quemadmodum usque hodie patienter et mansuete tolerat injurias, quæ ipsi inferuntur, (nam licet ultimo loco ponatur, licet indecentiore et immundiore loco asservetur, licet a prætereuntibus nullo honore vel reverentia afficiatur, non conqueritur tamen, nec ulciscitur, sed omnia dissimulat) ita clamat etiam ad nos, ut si velimus ejus esse discipuli, idem faciamus. Denique sicut non reputavit immensa sua majestate indignum, quod se demitteret ad crucem inter medios latrones subeundam, ob redemptionem hominum, ita non dedignatus formam sibi assumere et interiora nostra penetrare, ut suis nos donis repleat, eoque ipso clamat, uti nos similiter nihil non faciamus et patiamur ob amorem proximi, quo lucremur eum. Ad has voces si obturemus aures, est certe, cur erubescamus pudeatque nos superbiæ nostræ in tam humilis Domini præsentia. Id enim nobis occidit Ezechiel, cap. XLIII. dicens: *Fili hominis, ostende domui Israel templum, et confundantur ab iniquitatibus, et metiantur fabricam et erubescant ex omnibus quæ fecerunt*. Vult dicere: Describe ejus gloriam et magnificentiam templi Salomonici, ut erubescant videntes propter eorum scelera templum id eversum esse. At nos scimus templum humanitatis Christi propter nostra imprimis scelera devastatum et deformatum esse in cruce, ut non esset ei species nec decor: deinde scimus idem nostri amoris causa sub vilissimis tegumentis panis et vini in eucharistia occultari ad exemplum nostrum, ut imitari Christum non dubitemus. Quare pudeat nos vitam agere tam ab ejus vita alienam, discamusque nos ipsos humiliare in præsentia extremæ humilitatis Domini nostri, etc.

CONCIO IV.

CIRCUMSTANTIÆ RELIQUÆ INSTITUTIONIS EUCHARISTIÆ.

I. Quando instituta eucharistia: 1. Pridie quam pateretur. 2. Præmissa pedum lotionem. 3. Post agni comestionem. 4. Tempore nocturno. 5. In cœna. — II. Ubi instituta: 1. In domo civis Jerosolymitani. 2. In cœnaculo, quod fuit typus Ecclesiæ et typus animæ. — III. Quo ritu instituta: 1. Accepit panem azymum. 2. Accepit panem in manus. 3. Gratias egit. 4. Benedixit panem. 5. Dedit discipulis. — IV. Qua verborum formula.

THEMA.

Cœna facta, etc. Joan. XIII.

Non mirandum, auditores, quod de ultima

cœna et sanctæ eucharistiæ institutione nihil scripserit Joannes evangelista, præterquam unicum id cœnam factam esse. Scripsit enim evangelium suum post alios evangelistas, et fere ea tantum, quæ alii omiserant. Quia igitur reliqui Matthæus, Marcus, Lucas de cœna illa eucharistica jam satis multa scripserant, supersedere ipse voluit. Quare si quas audire volumus institutionis illius circumstantias, reliquos adire evangelistas debemus; quas et nunc excutiemus.

I. Quærat aliquis: Quando instituta sit eucharistia. Respond. primo, pridie quam pateretur Dominus; neque hoc ob unam causam. Prima est ut hoc ejus velut testamentum arctius custodiremus et recentiore ac teneriore ejus memoriam haberemus. Solent enim filii diligenter observare, quæ a morientibus parentibus in mandata acceperunt; postrema quoque eorum munera diligenter asservare.

Secunda, ut ostenderet nobis desiderium suum manendi semper nobiscum, etiam qua homo. Propterea antequam per mortem recederet a discipulis suis, advenit et instituit rationem, qua etiam absens cum ipsis maneret.

Tertia, ut monstraret nobis charitatem suam, qua tantum nobis thesaurum parabat, eoque ipso tempore, quo Judæi ipsi parabant flagella, spinas, crucem, adeoque in id toti incumbabant ut eum crudelissime interficerent. Aquæ istæ multæ tantorum cruciatuum minime potuerunt extinguere charitatem ejus. Cogitabant tunc Judæi de Christo: Nos tibi fel et acetum propinabimus; respondebat Christus: Ego vobis manna de cœlo dabo. Cogitabant illi: Nos tibi mortem eamque turpissimam afferemus; respondebat Christus: Ego vobis vitam dabo. Cogitabant illi: Nos et medio te tollemus, ut ne amplius te videamus; respondebat Christus: Ego volo vobiscum manere usque ad consummationem sæculi. Hoc nimirum est præclarum illud christianæ vindictæ genus: charitatem odio rependere. Hoc est carbonem ignitos super caput inimici congerere. Hinc enim genus humanum incaluit in amorem Christi, quando ejus odium tanto amore victum est.

Præmissa pedum apostolorum lotionem. Primo, ob receptam apud Judæos consuetudinem, qua invitatis ablui solebant pedes, in signum charitatis et humilitatis. Utebantur autem Hebræi soleis et corrigiis tantum, unde in pedibus facile contrahebant sordes, proinde etiam lotionem pedum crebriore indigebant. Quæ causa nos non urget, ut ea cæremonia utamur. Mystico tamen sensu, quorum pedes, id est affectus vitiorum sordibus infectos cernimus, abluere gravemur.

Secundo, ut doceret nos abluere sordes animi etiam leviores, antequam accedamus ad sanctam communionem purissimi Virginis Filii. Porro nisi a lethalibus saltem peccatis fuerimus abluti, non habebimus partem cum Christo: non percipiemus sacramenti gratiam et virtutem, sed incurremus Dei indignationem et judicium. Nisi a levioribus etiam simus immunes, minore fructu communicabimus. Ergo non tantum pedes, sed manus et caput, omnesque animæ et corporis vires lavandæ, dicendumque: *Amplius lava me, Domine.*

Post agni paschalis comestionem. Primo, quia agnus ille typus erat Christi in paschate immolandi. Comedebatur agnus a Judæis in memoriam liberationis de Ægyptiaca servitute, et præservationis ab angelo percutiente, Exod. XII. Instituta est eucharistia in memoriam redemptionis nostræ a servitute peccati et præservationis a morte æterna. Recte ergo figura rei umbra corpori præmissa est.

Secundo, quia ritus comedendi agnum illum docet nos dispositiones requisitas ad dignam Christi sumptionem, præceptum erat Judæis ut manducaturi pascha accingerent renes suos, calceamenta haberent in pedibus, baculos gestarent manibus, comederent festinanter, adderent panes azymos et lectucas agrestes, comederent assatum non crudum, nec elixum. Quid autem sibi hæc volunt, nisi ut nos verum et immolatum agnum pro nobis occisum comedamus præcincti castitate et sensuum mortificatione; calceati seu mundati a peccatorum sordibus, instructi baculo et memoria crucis ac passionis Domini: comedamus cum spirituali fame et ardente desiderio, adhibita animæ puritate et prævia pœnitentiæ amaritudine, necnon conscientie probatione, et digna tanti cibi præmeditatione, ne judicium manducemus? Sed hæc suo loco fusius exposita.

Nocturno tempore. Primo, ut ostenderet magnum esse secretum hujus sacramenti, magno Dei consilio instituti. Dicitur autem solet: *De nocte consilium*. Secundo, quia mysterium hoc fide magna credendum erat. Fides autem quasi lucerna est in nocte, ubi ex parte videmus, ex parte adhuc cæcutimus.

In cœna. Primo, quia uti cœna ultima hominis refectio est, ita eucharistia ultimam homini perfectionem confert et perseverantiam in bono, si digne et crebro percipiatur.

Secundo, quia uti cœna satiat hominem, ut nil jam præter somnum expetat, ita s. eucharistia digne percepta sedat appetitum rerum terrenarum, ut nihil earum valde concupiscamus, so-

lam in Domino quietem optemus dicentes cum Davide, Psal. IV. *In pace in idipsum dormiam et requiescam.*

II. Ubi instituta? Respond. Primo, in domo alicujus Jerosolymitani anonymi, in cujus aedes quidam lagenam aquae bajulabat, ut habent Marcus et Lucas. Voluit ad hunc divertere Christus. Primo, ut ostenderet discipulis, ne solliciti essent de victu quotidiano; adfore suo tempore aliquos etiam ignotos, qui necessaria eis subministrarent: quemadmodum hic paterfamilias forte aliis paratum habebat cœnaculum, Christo tamen adventanti mox concessit. Ita Habacuc ille cibum messoribus suis ferebat, in via tamen interceptus ad Daniele ferre jussus est, Dan. XIV.

Secundo, ut doceret eum, quocum cœnare vult in sancta communione, baptismi aqua et lacrymis contritionis ablutum esse debere a peccatis. Nisi quis aquas istas inferat in domum cordis sui, non divertet ibi Dominus cum gratia et virtute sacramenti sui.

Tertio, ut moneret non attendere se ad personam hominis, utrum ille dives an pauper, nobilis an plebeius, doctus an indoctus sit, qui ipsum hospitio excepturus est, modo fidelis et contritus ac bonæ voluntatis sit; propterea nomen et contritio patrisfamilias minime exprimitur a Christo et evangelistis; quasi nihil id referret.

Secundo, in cœnaculo grandi, strato, ut docent Marcus et Lucas. Fuit autem cœnaculum illud primo typus Ecclesiæ, quæ grandis et toto orbe diffusa est. Deinde strata donis Spiritus Sancti et miraculis et virtutibus exornata.

Secundo, animæ christianæ, quæ cœnaculum Christi, a terrenis rebus elevatum et supernis intentum, deinde magnum et spatiosum ad quoscumque recipiendos non amicos tantum sed inimicos etiam et Judam: denique stratum et ornatum virtutibus esse debet, iis præsertim, quæ in s. communione requiruntur, fide, humilitate, reverentia, charitate, etc.

III. Quo modo et quo ritu instituta sit eucharistia. Resp. Primo, Christus accepit panem azymum, scilicet quali vescebantur Judæi in paschate. Primo, ut veteri se legi accommodaret; secundo, quia ex immaculato virginis conceptu purissimum nulloque inquinatum peccato corpus sumpsit; tertio, ut doceret eos qui hoc mysterium tractant et sumunt, puros ab omni fermento nequitiae et hypocrisis esse debere.

Secundo, accepit panem in manus suas. Primo, in signum omnipotentiae, qua *omnia dedit ei Pater in manus*, Joan. XIII. quoque unum in aliud mutare suoque libitu omnia administrare potest. Unde hic effecit, ut ipsemet seipsum in propriis

gestaret manibus integrum et inconsumptum, tametsi se discipulis traderet sumendum, quod nunquam a sæculo auditum. Itaque cum audismutari hoc in sacramento substantias, novum subsistendi modum dari accidentibus, corpus Christi non magis ibi occupare locum quam purum spiritum, etc. noli hæsitare, sed credito *quia Pater omnia dedit ei in manus*. Secundo, in signum liberalitatis suæ, qua fideles suos pascit pane eucharistico velut pastor oves: quo modo et universim velut Deus aperit manus suas et implet omne animal benedictione seu pane naturali. Tertio, ad designandos labores, quibus hunc panem nobis lucratus est et quasi manibus suis pinguit in sudore vultus sui.

Tertio, gratias egit. Primo, pro refectioe corporali jam percepta; secundo, pro spirituali jam percipienda in eucharistia; tertio, ut hæc gratiarum actione et benedictione discipulorum animos disponeret ad mysterium, quod præ manibus habebat intelligendum dignaque veneratione sumendum. Non enim hic toti mensæ, sed pani peculiari ratione benedixit, indicans se magnum aliquid et mirum esse patraturum.

Quarto, benedixit panem. Primo, ut eum sanctificaret tantoque mysterio præpararet; secundo, ut discipulos et nos doceret sanctificandum esse prius corpus et animam de hoc mysterio participaturum; ita nimirum ut omni labe et immunditia tanto sacramento contraria careant.

Quinto, fregit. Primo ad indicandam mortem suam qua corpus ab anima ejus paulo post dividendum erat. Pythagoras dicebat: *Panem ne frangito*, hoc est, amicitiam ne dissolvito. Verum quia summa illa amicitia, quæ erat inter corpus et animam Christi, dissolvenda per mortem erat, ideo panem frangere voluit; secundo, ut ostenderet sub una consecrata hostiæ particula æque sumi totum Christi corpus atque sub hostia integra, et tantum esse sub fragmento quantum toto tegitur; tertio, ut insinueret panem eucharisticum non integrum seu inconsiderato, sed comminutum et accurate expensum, esse accipiendum. Veteres ieturi fœdus hostiam mactabant et in duas dividebant partes, atque inter eas transibant, ut scribit Livius, libro 4. et legimus etiam Jerem. XXXIV, quasi is qui fœdus violasset, non secus ac hostia illa medius scindendus esset: jam vero nos cur ad Christi communionem accedimus; nonne ut intime cum eo uniamur? Nonne velut amici ad amicum Deum ire nos profitemur? Viderit ergo qui occultam in pectore gerit simultatem, peccatum inquam, quo velut gladio Deum velit perimere. Sane Judas si, ut volunt aliqui, sumpsit eucharistiam,

indigne sumpsit, ideoque non mirum, si suspensus crepuit medius.

Sexto, dedit discipulis dicens: *Accipite et comedite, etc.* Primo, quia discipuli divino lumine illustrati non fuissent ausi panem accipere vel etiam atrectare, nisi a Christo oblati et porrectus fuisset. Secundo, ut ostenderet Dominus, quanta charitate seipsum nobis donet; siquidem invitat nos, et hortatur ad manducandum, porrigitque semetipsum.

IV. Quærat aliquis: Qua verborum formula instituta sit. Respondetur primo, panem consecrasse et mutasse in corpus suum his verbis: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*, ut refert Sanctus Lucas, seu ut Sanctus Paulus, I. Corinth. XI. *quod pro vobis tradetur*. Habemus hic primo veritatem corporis Christi in eucharistia; ait enim Dominus claris verbis, hoc esse corpus, esse corpus suum, esse illud ipsum corpus, quod pro humano genere passurum sit. Nocturne igitur sunt Sacramentarii, qui soli ad hanc lucem cæcutiunt et impingunt figuram tantum et umbram corporis Domini pro veritate ejus cernentes. Habemus secundo ex vi horum verborum constitutum tantum corpus Christi sub speciebus panis, (similiter ex vi verborum: *Hic est sanguis meus, sanguinem tantum sub speciebus vini, ad designandam ejus mortem, in qua corpus a sanguine separatum fuit*) non sanguinem nec animam. Per concomitantiam tamen, quia Christus jam non moritur, constitui sub iisdem etiam sanguinem, animam et divinitatem Christi. Cæterum si in triduo mortis Domini apostoli consecrassent panem et vinum, sub pane solum Christi corpus, sub vino solum ejus sanguinem habuissent. Habemus tertio constitutam et datam nobis eucharistiam in memoriam passionis Domini. Siquidem addidit: *Quod pro vobis datur sive tradetur*, quo nimirum mortem Domini annuntiemus et memoremus, quoties eum sumpserimus.

Respondeo secundo, vinum consecrasse his verbis: *Hic est sanguis meus, novi et æterni testamenti, qui pro multis effundetur*; sive ut refert Lucas et Paulus: *Hic est calix, novum testamentum in meo sanguine*. Vocatur autem calix seu sanguis Christi (continens pro contento) novum testamentum. Primo, quia novum pactum cum hominibus, de conferenda illis æterna hæreditate per Christi sanguinem confirmavit. In veteri testamento sanguis vitulorum typicus hoc prænuntiavit quando Moyses dimidia parte sanguinis victimarum perfudit altare, quasi ipsum Deum; reliqua parte aspersit populum dicens: *Hic est sanguis fœderis sive tes-*

tamenti quod pepigit Dominus nobiscum, etc. Exod. XXIV. Ad hunc alludit Christus figuræ rem subjiciens. Secundo, quia est legatum novum et admirabile (continens enim sumitur pro contento, testamentum pro legato,) quod præbet nobis jus ad æternam hæreditatem. Confirmatum est hoc legatum et testamentum Christi, morte ejusdem interveniente. Dicitur effundendus pro multis, primo, pro omnibus hominibus (quia etiam omnes sunt multi) quoad sufficientiam, ut omnes possint eum sibi applicare ad salutem suam, si velint: secundo, non pro omnibus, sed pro multis quoad efficaciam: videlicet pro iis qui sibi eum applicabunt, vales sunt electi tantum.

Superest igitur ut visis institutionis hujus circumstantiis, debite nos paremus ad hujus tanti legati dignam perceptionem atque ita e numero multorum sive electorum esse mereamur.

CONCIO V.

ATTRIBUTA DEI IN S. EUCHARISTIA RESPLENDENTIA.

I. Dei potentia. — II. Dei sapientia. — III. Dei bonitas. — IV. Dei charitas. — V. Dei magnificentia. — VI. Dei zelus.

THEMA.

Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos. Joan. XIII.

Hodierna die peractum est, auditores, quod scribit David, Psal. CX. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se*, quando scilicet instituta est a Christo s. eucharistia post cœnam agni typicam; est enim eucharistia memoriale et compendium omnium mirabilium Dei operum. In aliis suis operibus ostendit Deus unam vel alteram proprietatem suam, nunc misericordiam, nunc justitiam, nunc sapientiam, nunc potentiam; at in isto opere ostendit simul multas, et quodammodo effudit arcana divinitatis suæ, sapientiam, potentiam, bonitatem, charitatem, zelum, magnificentiam. Pulchre hoc expressit idem David, Psal. LXVII. cum ait Deum in veteri lege distillasse beneficia sua, in nova vero depluisse. *Deus, inquit, cum egredieris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto, terra mota est; etenim cœli distillaverunt a facie Dei Sinai; (manna videlicet) a facie Dei Israel. Sed qui in nova lege? Pluviam voluntariam (subdit) segregabis Deus hæreditati tuæ, q. d. antiquis patribus dedisti in deserto manna de cœlo, sed per modum distillationis, quia panem corporalem tantum, ostendisti non nisi*